



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

80. Rvtilivs mercatoris filius ex bonis paternis industriâ suâ multum patri lucratur, otianbus alijs fratribus; vnde aliquam à patre mercedem exigere potest, siquidem aliquid lucri ad ipsum pertinet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Videtur non esse. Ita Victoria de Confess. n. 196. & inclinatur Sylvest. V. Confessio 1. q. 6. quia Rufus hypocrisin & mendacium committit mortale, ideoque dolore requisito & proposito destituitur.

Resp. Confessionem alteram Rufi per se esse validam. Ita Suarez, Coninck, Henriquez, Lugo D. 16. de pœnit. n. 57. & alij communiter. Ratio est, quia hoc neque est hypocrisis; velle enim conseruare bonam famam apud Confessarium ordinarium, aut nullam, aut non grauem inordinationem continet; neque mendacium; quippe verissimum est à parte rei, cuius se accusat pœnitens: neque denique est contra integritatem Confessionis, cum vtraque verè sit integra. Dixi per se. Nam aliud esset, si Rufus hâc ratione maneret in mortali occasione peccandi, aut idèò circumiret, vt liberius peccaret, tunc enim grauitè delinqueret, & ob defectum attritionis Confessio foret nulla, vt rectè advertunt Auctores citati.

LXXX. Rutilius Mercatoris filius in domo paterna multum patri suâ lucratur industria, alijs fratribus interea otiosis, vel ad studia incumbentibus. Quare arbitratur ille licitū sibi esse, aliquam pecunie quantitatem clam patre sublegere, quam in ludos, potationes &c. insumat. Quæritur. Si quid Rutilius in domo paterna lucretur, non principaliter ex arte vel industria sua, sed ex rebus & bonis

*bonis paternis, vtrum ad ipsum quoque pars lucri
proportione adhibita industriae pertinere debeat?*

Videtur nihil ad ipsum pertinere. Ita Syl-
uester V. *peculium* l. 9. 12. Molina Tr. 2. D. 761.
Layman L. 3. Tr. 4. c. 8. n. 6, & plerique alij.
Tum quia filius ex gratitudine & pietate erga
patrem tales operas veluti obsequia præstare
tenetur; vnde non facilè aliquis reperitur
filius, qui ob talia opera à patre mercedem
exigere audeat: aut si exigat, non illico à pa-
tre repellatur. Tum quia iura indistinctè
aiunt, *quod filius ex re siue substantia patris acqui-
rit, inter profectitia bona numerari, & patri ac-
quiri, vt videre est Inst. per quas person. nobis ac-
quiratur. §. 1.*

Resp. Rutilium aliquod à patre salarium
siue mercedè exigere posse, ad eoque aliquid
lucri ex bonis paternis facti ad ipsum pertine-
re. Ita post Bartolum Nauarr. c. 17. n. 144.
Lopez part. 2. *instruct.* c. 21. Lessius l. 2. c. 12.
n. 81. & alij. Ratio est, quia cum lucrum non
tantùm ex bonis patris, sed etiam ex filij indu-
stria proueniat, idcirco partim inter profecti-
tia, partim verò inter aduentitia bona nume-
randum esse videtur. Quare pater in con-
sciètia tenetur, filio industriâ suâ ex bonis pa-
ternis lucranti pendere, quantum extraneo
famulo dare deberet, dummodo filius eius-
modi mercedem petat, & patri ex gratitudine
non condonet. Quod si autem filius ex metu
reueren-

reuerentiali petere non audeat, probè sciens, repulsam se passurum, tunc consequenter ait Lessius, posse eum clam tantundem accipere. Atque huic sententiæ Confessarius in praxi conformare se poterit, ita quidem, vt imprimis hortetur filium, ne tali licentiâ abutatur, sed quàm fieri potest rarissimè vtatur. Deinde verò vt eum non compellat ad restitutionem, si id, quod clam accepit, iustæ mercedis æstimationem non excedat, præsertim si pater erga illum durus sit, & ipsi optimè merito & negotiatori valde vtili nihil aut parùm concedat ad honestas & statui eius conuenientes recreationes.

Ad 1. in contrarium dicimus, Rutilium ex gratitudine quidem posse: nullo tamen iure teneri seruire patri sine stipendio, nisi pater egeat, vel nisi alij filij etiam lucrentur patri; nulla enim æquitas dicitur, inquit Lessius *loc. cit.* vt ipse teneatur sine stipendio laborare, alijs otiantibus. Atque in hunc sensum intelligenda iura in 2. argumento adducta, quidquid verbo tenus præseferant.

LXXXI. *Samuel Confessarius in quad. ciuitate subinde ex duobus coniugibus, vel fratribus, vel sororibus, vel famulis, vel socijs &c. qui ambo ipsi confitentur, vnum à vitæ morumque innocentia mirè laudat: alterum verò tacitè præterit illaudatū, cum par sit occasio vtrumque laudandi. Interdum etiam fatetur, bonam se pœnitentiam*

Z

certa